Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 371
Quelle:
Copyright:

libris ipſorum, ſed non eſt eorum; complectitur ſaepius, praeſertim ſuperiore *Vol.* relatam *Auroram Petri de Riga*, ſive metricam Librorum biblicorum praecipue hiſtoricorum Paraphraſin. Atque in hoc quidem Exemplo incipitur a Prologo: *Frequens ſodalium meorum petitio* &c. Solum *Pentateuchum* petebant Sodales, ſed, ut fit, incaluit cum labore ſtudium. Igitur absque aliis Diſtichis praeviis habentur hic continuo *Pentateuchus, Joſue, Judices, Ruth, Reges, Tobias, Daniel, Judith, Eſther, Machabaei*, tum:

Poſt legem ueterem reſpira, Petre! Refulget
Lex noua. Fac uerſus de nouitate nouos.

Succedit Hiſtoria Evangelica, quae finit:

Hic loquitur de fine Ihesus, libroque Matheus
Dat finem. Petrus finit et ipſe ſuum.

et: *Explicit nouum teſtamentum. Incipit uetus ſine a.* Verſus hos, in quibus certus Diſtichorum numerus literam unam ſecundum Alphabeti ordinem evitat, edidit *Leyſerus* in *Hiſtoria Poetar. et Poemat. medii Aevi* p. 705. inſcripſitque *Recapitulationes utriusque Teſtamenti*, ſed nempe novo nihil niſi ultima Particula *Sine Z* ceſſit. Ex hactenus dictis patet, multa in hoc Codice ceterum ſatis emendato deeſſe, quae in Exemplis *Vol.* I. P. 1. a *col.* 327. recenſui. Ad ejus calcem litera unciali legitur: *Explicit aurora fridelini. Notarij Curie Regis: Amen.* Poſſeſſorem intelligo, *Regem* vero aut *Carolum* IV. *Bohemiae*, aut alterutrum Filiorum; Codicem enim ad *Bohemiam* pertinuiſſe probat praetexta Lacinia, in qua variae Epiſtolarum Formulae admodum barbarae ſuperſunt, v. g. *Pro Libris. Filius ad Patrem. De citatione Caſtellani ad Dominum. Burgenſis domino ſuo pro tritico* &c. In his *Opauia, Olomucium, Duba, Lanſtan* (Landſtein) *Romber* (Rumburg) occurrunt.

CCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3350 XIV. Folior. 80. 8. priori parte luculente ſcriptus, et rubricis enotatus, poſteriori vero currente calamo, multisque vocum compendiis exhibet I. Paraphraſin metricam *Exodi, Levitici, Deuteronomii*, et poſt hoc *Numeri* cum *Joſue*, tacito Autore, qui eſt *Petrus de Riga* multo perfectius utroque *Vol.* a me pluries relatus, quam quidem hic habetur.

II. *fol.* 48. *Sermonum* Seriem de Feſtis Sanctorum a die S. *Andreae* ad *Cathedram Antioch. S. Petri;* ſiquidem Sermones dicendi ſunt, et non potius primae Sermonum lineae partitionibus in uſum